


05

A

2327





Sylloge
POSITIONUM PHILOLO-
GICARUM,

Quam
DEO clementer annuente
P R Æ S I D E
V I R O

Admodum Reverendo, Clarissimo atq; Excellentissimo

J A C O B O W E L L E R O,

S. S. Theol. D. Ejusdemque P. P. Extraord. Lingv. Oriental.
Ordinario, Præceptore, Promotore atque Affine suo
ætatem colendo,

Publicæ exponit ventilationi

M. Gottfriedt MEISNERUS,
Witteberg.

Ad d. 13. Jan. horis Matut.
In Auditor. Majori.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDC XXXVIII.

POSITIONUM PHILO.
GICARUM



05 A 2327

WITTEBON
THE JOURNAL
AND





Quod Deus benè vertat !

Positio I.

Nomen ישו originem debet suam radici in
Kalinitate ישו In diversas hic abeunt opinio-
nes autores; dum eorum unus ab allegoricâ al-
lusionem; alter à Cabalisticâ interpretatione; alius
denique à nescio quâ literarum & punctorum
mirâ metamorphosi & compositione deducere
hoc nomen gestiunt, tam acri studio, ut cum in sanâ certamen
iniisse videantur, quorum singulas sententias allegatas partum
& refutatas reperies (ut Flac. Roterod. & Barrad. taceam) apud
Viros C. Walch. Spicil. contr. de nom. אלהים ויהוה contr. 14.
Gerh. Ex loc. 4. c. 1. §. 7. Gl. ovou. Sacr. cl. 4. nom. 5. p. 173. Rössel.
disp. 2 probl. misc. Hebr. probl. 7. Amam. Antib. l. 2. diff. de nome.
Tetr. §. 19. Scult. delic. Prag. c. 1. p. 15. Nostræ originationi non
tantum firmum suppeditat fundamentum Scriptura assensus Matt.
1, 21. sed & Judæorum consensus; sic enim Weidnerus conversus
Judæus in loc. Fid. 11. 2. p. 214 Rabbenu Haccados, qui fuit tempo-
ribus consilium Romanorum in lib. אנטיגון Antoninum consulem
alloquens, hæc de hoc ipso nomine inter cætera dicit: Quia Messias
homines salvabit, vocabitur JESUAH. Hæc Weidnerus. Addit
Galat. de arc. Cathol. Ver. l. 3. c. 20. p. 154 C. Gentes autem alterius
nationis, quæ fidem ejus sectabuntur, vocabunt eum Jesum. Hæc Ma-
gister noster. Non autem anxius esse debet Osiander de abjectio-
ne literæ ש in voce ישו . Nam, ut taceam difficulter à Judæis
proferri posse illum characterem, adeoque non ex invidiâ sed
necessitate omissum esse, notum est, ש præcipue si vocem
claudat, demi aliquando (Amam. cit. l. 1.) id quod Thalmudicis in-
primis in usu esse Drus. prat. l. 2. in Marc. 1, 17. ostendit, & in-
culeat iterum in epil. lib. de Tetr. de nomine Jesu & Obs. l. 4. c. 10.

Exempla huc facientis profert *Caninius in disquis. super N. T. Loc. 1. p. 20.* sequentia: quod Hebr. & Babylonice dicitur שבע seba, septem, id Syriace & Thalmudice scribitur שב Sab. Sic pro עריק quod est abscissus, dicitur קריק &c. Et hæc ex hypothesi respondemus, non tamen approbantes inscriptionem יש uti præter *Caninium* id cit. l. ex doctissimo Judæorum יבן & *Elia in Tisbj* demonstrantem, docet *Clar. Walch. contr. 14. p. 216.* Obiter nota: non recte per abbreviaturam nomen hoc (si originem Hebr. spectes) scribi JHV; siquidem Tetragr. ita exprimitur, referente *Fullero Misc. Sacr. l. 4. c. 13. p. 488.*

Positio. II.

*Frustrâ expectant Judæi regni sui formam pristinum decus præcepturam esse redituris duce Messia examibus aliquot suæ gentis, jam ultra Sabbathionem fluvium in provinciâ Tabor degentibus. De Messia futuro plurima sibi mobile & $\mu\lambda\upsilon\kappa\acute{\epsilon}\Phi\alpha\lambda\omicron\nu$ Judæorum promittit vulgus; adhuc plura de ipso proferunt mendaciâ (conf. *Buxt. Syn. Jud. c. 36. & Mosem. in der Judenschule*) Rabbinj; veriti credo, ne quid posset tam absurde aut fatue dici, ut id nemo dixisset eorum. Quorum tamen audaciam, (ut alia nunc argumenta, ne ultra limites nobis præpositos abeamus, taceamus) impudentiam verus dixerim, retundere satis potest auctoritas *Gerundensis.* Sic enim *Weidnerus p. 225.* Dicit *R. Moyses Gerund. in l. Jud. in sententiis Regum, quod non desideraverunt Prophetæ & sapientes tempus Messie, ut dominarentur super orbem, nec ut haberent potestatem in gentibus, vel, ut indulgerent cibo & potui, delitijs & voluptatibus, sed ut versarentur in lege & sapientiâ, ut esset eis fas habere vitam sæculi futuri; quæ verba alij ascribunt, R. Moysi Aegyptio, alij R. Moysi Aben Majmon.* Similia videt in gloss. quadam Hebr. in *BRÉSIS RABA super c. 28. & 49. Genes. & conf. Galat. l. 5. c. 9. & l. 8. c. 9.* Cæterum opinio Judæos ultra Caspios lacus collocans ex cœnosis illorum lacubus putidissimarum fabularum profluxit; peragrata enim est *Tartaria*, circumnavigata *Cataya*, nec usquam vestigium apparet illarum bordarum *Totaro-Israeliticarum*; Sed fortassis *Geographis* dicam scribent *Judæi eandem**

eandem, quam Chronologis scripsisse refert Buxt. d. l. p. 623?
 Satis pro imperio! Notanda hic verba Full. Misc. l. 2. c. 5. Dum
 adhuc media Zona regiones incognita manerent, nota erat & apud
 omnes pervulgata iisdem in locis Pygmaeorum habitatio: At post-
 quam nostrâ patrumq; nostrorum aetate, plurimis terrâ mariq; po-
 regrinationibus, cunctâ sunt ibi perlustrata, diffugerunt protinus
 Pygmei, & ultra Lappones ad intolerabilia Poli frigora glaciesq;
 ac nives sese receperunt. Non quod vel minimam asperitatis tan-
 ta tamq; horrida partem sustinere se posse considerent: sed tota spes
 erat sita in ignoti loci obscuritate, fore videlicet ut caligo Polaris
 commodissimam latebram exhiberet, qua Lucifugos homulos occulta-
 ret, & procul ab hominum conspectu submoveret. Hisce iisdem
 vestigiis insistere videntur Danita, Nephthalita & id genus reliqui,
 dum vicina polo loca petere contendunt, & ut Pygmaeorum finibus
 appropinquent, tantoperè laborant. Digni profectò utriusque, qui
 apud Utopienses civitate donentur. Hac ille.

Positio. III.

Etymologia vocis פְּתִילָה indicat ipsam puram virginem
 notare. A Rad. פָּתַח abscondidit, descendere, ipse fatetur
 פְּתִילָה in l. Serassim cit. Helv. T. 4. Gies. diss. 14. & Gal. l. 7. c. 15. p.
 419. D. & ratione quidem petitâ vel à consuetudine conjugali
 (explicat id D. Gl. ὄνομα cl. 2. n. 6. p. 87.) vel à more gentis Judai-
 cae. De quo sic Schindl. in Lex. p. 1329. Ita olim educabantur
 puella, ut domi apud matres delitescerent, nec prodirent in publi-
 cum, nisi necessitas, vel cultus divini ratio postularet. Idem ha-
 bet Flacius de hac voce, adductis in exemplum etiam ceteris
 populis Orientalibus & Italis; quod & Erasmus in c. 2. Matth.
 p. 10. facit. Non absimile huic illud Hesiod. l. 2. ἐργ:

ἢτε δόμων ἐντὸς Φίλη παρὰ μητέρα μίμνει
 ἄτω ἐργ' εἰδυῖα πολυχρύσῃ ἀφροδίτης.

Vide quæ annotarit ad eum locum Riccius. Consentit & Iosippus
 l. de Maccab. c. 18. Casta virgo genita sum, neq; excessi patriam.
 A 3 domum:

domumque lingvâ quoque Punicâ, quæ de Hebræorum manasse dicitur, virginem puram, alma, appellari ex Hieron. annotat Barradas Harm. T. 1. l. 8. c. 6 & Druf. parall. Sacr. p. 79. conf. 2. Maccab. 3, 19. Simile quid de Turcis annotavit Schweigerus Itin. l. 2. c. 60. c. 61. Inprimis autem observanda ejus verba, quæ habet c. 63. p. 225. Eine Griechische Jungfrau gehet mit bedecktem Angesichte; also gehen auch die Jüdischen Jungfrauen/ darumb sie auff Ebreisch heißen Alma / das ist/ bedecket. Nec ab simile memoria tradidit de Chænisibus, latè rege Asiæ populo, Marcus Henningus in descript. eorum regni, l. 3. c. 20. p. 240. Continua isthæc & spontanea assiduitas, eas (fœminas) usq; adeò in officio continet, ut in publico aut e fenestra prospectantem honoratæ conditionis fœminam adspicere, novum, planeq; monstrum videatur: Vivunt enim mulieres honestissimè. Sin contingat, ut alicui earum necessariam quampiam ob causam, ut, ob morbum, aut mortem parentum, aut alia hujusmodi (alias n. mutuò sese intervifere ipsarum moribus haut est receptum) edibus exeundum sit, lecticis occluse, neminiq; conspiciende gestantur; ut alibi diximus. (Jc. l. 1. c. 10. p. 63.) conf. & Casaub. Ex. 1. n. 23. p. 118. 119.

Positio IV.

Minus usitata vocis significatio non facilè est eligenda, nisi fidei analogia aut evidentia contextus id dicat. E. rectè dicimus וַיִּבְרַח Gen. 49, 10. non notare virgam tribus, & וַיִּשְׁתַּחֲוֶה Jer. 31, 22. loqui non de conversione Judæorum sæpius usitatâ, sed generatione Messia novâ & inulitatâ. De primo prolixè egit Exc. Dn. D. Lyserus, Præc. meus æternum colendus, in prel. publ. de hoc dicto (ubi simul explicatur acutè, quid per וַיִּבְרַח propr. intelligendum sit) consule etiam Casaub. Ex. 1. ad annal. Baron. appar. Num. 3. p. 6. & c. Pareum in Genes. p. 2208. Paraphr. Chald. apud Helv. T. 4. Giesf. disp. 12. וַיִּשְׁתַּחֲוֶה & R. Rachm. apud Weidn. p. 410. וַיִּשְׁתַּחֲוֶה super Am. c. 1, 5. p. 11. Repugnantes vide Trem. & Jun. Piscat. in Genes. Theodat. & Genev. cit. Sixt. ab Amamâ l. 2. in b. l. Secundum dictum accuratè vindicavit Exc. Dn. D. Hülf. Præc. itidem

MAGUS

meus, ætatem venerandus in *præl. publ. in Ier. c. 31, 22. conf. Cl. Helv.*
T. 4. Giesf. disp. 14. & Vindic. V. T. p. 279. ubi & argumenta Jud. re-
futata reperies. Sunt & alij Judæos hic sequentes, quos magis
decurisset contra illos, quàm pro illis laborare.

Positio V.

Herodes, sub quo Christus natus, non est ἀλλόφυλος.
Si ullibi *Scalig.* illud *Ex. 131. s. 1. nos in luce rerum tenui caligare,*
in mediocri cæcutire, in majore cæcos esse, in maximâ insanire; si,
inquam, ullibi locum habet, sanè in controversiis, qualis & hæc
est, Chronologicis, quæ maximam ad partem ex profanis de-
ciduntur autoribus; tot enim opiniones reperies, quot nume-
ro illi. Nostræ tamen thesæos veritas satis constat, quia ipsum
Idumæis parentibus, patre *Antipatro,* & avo *Antipa,* prognatum
esse, omnes ferè concedunt; cum autem *Iohannes Hircanus* in-
tegro ferè seculo ante Herodis hujus regnum Idumæos bello
difficili victos ad ejusdem doctrinæ & cultum professionem,
mandata eis circumcissione, adegerit; Idumæi reipsâ Judæi fa-
cti sunt; vide *Ioseph. Antiquit. Iud. l. 13. c. 17. Scult. delic. Prag.*
c. 13. Is. Casaub. Ex. 1. n. 111. p. 26. & seqq. Aug. Tornium T. 2.
annal. Sacr. ad annum mundi 4018. n. 7. & c. p. 332. ex quo idem
confirmat B. Dn. D. Hütt. L. C. art. 23. part. prior. qu. 1. p. 849.

Positio VI.

Longè aliam urbium & locorum ante desolationem & post
eandem consideratarum esse rationem, in propatulo est. E. sequens
sequela est inconsequens: *Locus nativitatis Christi post desolatio-*
nem (hic citant verba *Hier. ep. 27. ad Eust.* quæ tamen pro no-
bis faciunt) & *hodiè extra mœnia Bethlehem ostenditur* (quod
tamen etiam in suis *Itin.* negant *Borchardo Monachus c. 7. s. 56.*
qui omninò pro nobis facit, contra quàm invertit *Scult. delic.*
Prag. c. 18. p. 70. Barthol. de Saligniacr T. 10. c. 3. Mart. à Baumgar-
ten l. 2. c. 5. p. 80. 81. & c. 13. p. 98. Veritati proinde repugnat,
quotquot terram S. visitant, iis in suburbio [quod tamen non
habet] Bethlehem hoc præsepe ostendi) E. & *olim ibi fuit.*
Nam ut taceam argumentum [pro contrariâ opinione addu-
ctum] ex articulo τῆς, voci *Φάτιν* addito, petitum, quod facit
Scult.

*Sculr. c. l. p. 66. & non concludere, vid. Wit. de AntiCbr. ref. de
 monstr. Sanderi p. 56. & pro nobis facere; siquidem diversoria
 publica in agris exstructa & à consortio urbium & vicorum
 remota non gaudent nomine proprio; Turcis enim commu-
 ni appellatione vocantur Carabansarai juxta Sweig. p. 40. vel
 Charvaisanrie juxta Genfr. descr. aula Turc. l. 2. p. 57. Hispanis
 verò, Vnta, ref. Lans. Orat. pro Polon. p. 590. intra urbis autem
 pomeria ædificata vel ad distinctionem & ab aliis segregatio-
 nem vel faciliorem inventionem proprio insigniuntur voca-
 bulo; de cæteris vid. Calixt. Harm. p. 59. Casaub. Ex. 2. ad annales
 Baron. p. 159. Et. E. C. ult. qu. misc. Ennead. 4. qu. 9.) rectè in-
 quit B. Helv. Vindic. V. T. pag. 358. dubitatur adhuc an in eodem
 ipso loco, quo vetus be. v. e. v. stetit, nova exstructa sit. Sic
 Goljatham colliculum stante Hierosolymâ non nisi extra eam
 quæsiisses, hodie non nisi intra ipsam inveneris. Et quid
 opus ad longè disitos abire populos & exempla corradere,
 cum in optimâ nostrâ Germaniâ ejusmodi desolationum fru-
 ctus præstò sint: quæ ut tandem novos motus novaque gaudia
 novo hoc anno (quem omnibus TER FELICEM preca-
 mur) concipiat, deque tot exantlatis malis lætabunda trium-
 phet, calidis fatigamus cœleste numen precibus. Faxit etiam
 solus ille Omnipotens Deus, ut quivis nostrum cum Barclayo
 ex 2. part. Satyr. in posterum exclamare queat: Jò nunc exilia
 atque luctus; jò mortalium scelus & fraudes! jò nunc cessis-
 tis triumphanti! Jam de fluctibus extuli pedem, jam evasi
 de naufragâ rate, & arenulam securis osculis adoravi. Et
 nunc de littore Oceanum lustro, cautesque & vada, quibus
 me iniquior tempestas illi sit, gratisimo horrore contemno &c.
 Sin minùs, JESUS noster extremo suo judicio adducat tem-
 pus illud Virgilianum*

————— ————— quo ferrea tandem
 Desinet & soso surget gens aurea mundo?

EPI.

EPIMETRA:

I.

Falsum est commentum Judeorum, peccata ipsorum retardare adventum Messie. Hæc enim causa potius sunt promovens, quod, referente Galat. l. 4. c. 18. p. 246. D. Rabbenu Haccados in l. Gale razeia testatur; Messiam sc. ad relaxandum originale peccatum, & ad inferendas animas in paradisum venturum esse. Imò, quia vaticinium (ita) hypotheticum de venturo Messia non datur, hæc stante fabulâ, mendax fieret Deus; Helv. T. 4. Giess. disp. 12. p. 292. hoc tamen vel maximè ipsi negant Judæi; unde in voce יָמֵן (quam a leverandi non jurandi particulam esse asserunt Canin. in disquis. super N. T. p. 54. & Full. Misc. Sacr. l. 1. c. 2. p. 24.) liber Sanbedr. c. 11. & Arcanat Ex 15. Cabalisticè contineri affirmant seqq. voces: אֲרֵי סוּךְ נִמְנֵן Vid. Weidn. loc. Fid. tr. 1. p. 149.

II.

Falsum est Magos ex Arabia venisse. Ita quidem præter Patres, Epiph. Justin. Cyprian. opinati sunt Guiliel. Stuk. in comm. peripl. Arrian. maris Erythr. pag. 42. August. Steuchus T. 1. Cosmop. in cap. 2. Gen. p. 62. b. & rec. V. T. ad Heb. verit. in Genes. c. 10. p. 121. b. Sed falso opinati sunt, Hanc enim regionem Judææ non ab oriente, à quo Hierosolymam advenisse dicuntur Magi Matth. 2, 1. sed meridie ob versa esse, & dictum ejusd. Evang. c. 12, 42, & ipsa situs ratio evincunt. Quod verò Hieron. Osor. l. 1. de vitâ Regis Eman. (annotantibus Pelar. l. quest. Ev. ex c. 2. Matth part. l. 9. 3. p. 37. b. & Barrad. Harmon. T. 1. l. 9. c. 8. p. 447.) narrat, in vetustissimis Calecutij regni annalibus inveniri, Regem Calecutij fuisse unum aut certè primarium socium

B

3. Re

3 Regum Magorum; id, posterius inprimis, putamus ab ipso in patrocinium Pontificiæ sententiæ additum esse. Quanquam *Brachmanes Indos* ejusdem professionis cum *Magis Persis* & olim (olim inquam) uni regi subditos fuisse, non ignoremus. Plura de hac qu. inveniuntur in Harmoniis *B. Chemn. p. 215. Calixt. p. 63. 64. Andr. Osiand. annot. in. l. 1. c. 9. ut & apud Dn. D. Kest. hist. Epiphan. c. 3. q. 2. pag. 17. Scult. del. Prag. c. 20. Bünt. Itin. p. 1. pag. 143. & p. 2. p. 6. Casaub. Ex. 2. n. 10. p. 180. & 182.*

III.

Falsum est, JESUM ex tribu Levi oriundum esse. Id quidam concludere conantur ex *Luc. i. v. 36.* collato cum *v. 5.* sed satis eam consequentiam inconsequentem esse demonstravit *Dn. D. Walth. in harmon. super h. l.* Vox enim *συνεβη* non semper in speciali sumitur significatione cognatos unius tribus denotans, sed & generali, quosvis populares complectens, conf. *Rom. 9, 3. Act. 7, 3.* in quali latitudine & vox *ἀδελφῶν* sumitur *Act. 13, 26. c. 22, 1.* Alias Responsiones suppeditant *Franc. Gom. tr. de Geneal. Christi p. 129. Casaub. Ex. 1. n. 13. p. 95.*

IV.

Falsum est, ὁ ἄνθρωπος Gen. 4, 1. non esse notam casus accusativi. Siquidem primarium hujus partic. munus est, accus. demonstrare; insuper nota ejus, inprimis nomini proprio præposita, etiam post alterum subst. à verb. activ. recta, manet. Fortissimum quidem argumentum contra nos esse sibi imaginatur *Vir Erud. Sixt. ab Amama Antib. l. 2. ad b. l.* si dicat, nostram opinionem premi hoc incommodo, quod Eva hac ratione non novisset, Christum debere esse semen mulieris, sed jamdudum id refutatum à *Viris Cl. p. m. D. Hunnio in AntiPar. 1. p. 158. Helv. de sid. ma-*

116

tris Eva §. 37. p. 18. E. nec novâ Responsione dignum. Re-
cognoscat tantum *Amama* non postremi inter Calv. *Ca-
saub.* Ex. 1. n. 2. p. 14. verba: *Notitiam spiritualis doctrine ita
primis parentibus & populo Judaico temp. ravit imperscru-
tabilis Dei providentia; ut, quum unicuiq. sæculo tantum
ejus largiretur, quantum satis esset, paulatim & delut per
certos gradus ad pleniorum cognitionem fideles primum verren-
tur.* Hæc ille. Conferat & p. 2. & 3. Saltem addo, ne
potuisse quidem Evam scire, an virginis filius futurus fue-
rit Messias; cum enim in ejus præsentia, nec dum aliis mu-
lieribus existentibus, verba illa Gen. 3, 15. **וְרַע הָאִשָּׁה יִשׁוּפְךָ**
וְשָׂרָה dicta fuerint, & Eva Gen. 2, 23. **אִשָּׁה** nominata, ipsa
certè, cui nihil de posteritatis qualitate constabat, de nul-
lâ aliâ, nisi seipsâ, ea intelligere potuit.

Positio V.

*Falsum est, Alexandriam à Sabaco Æthiopum rege de-
structam fuisse, Ita quidem contra omnes Histor. hario-
lantur Tremell. & Jun. ad Nah. 3, 10, Sed rationum ponde-
ra (urbem ibidem locorum tunc extitisse) desideramus,
nec in tam clarâ literarum luce Aruspices moramur
& Dictatores, quorum munus jamdudum
expiravit.*

תְּהִלָּה לְיִשְׂרָאֵל

Litera



Literatissimo ac Ornatissimo Dn. Respon-
denti Amico ac Affini suo dilectissimo,

Hem Meisneriades magni vestigia Patris
Mira & facunda sedulitate premit.
Isthaec laudarem testes Inthuat, virtus
Ni laudata satis vel jam aliunde foret.
Gratulor, & Magni referat vel nomina Patris.
Atq; paret Christo commoda multa, precor.

exed.

Jacobus Weller D.



Perle d. 12
Weller

05 A 2327

ULB Halle

3


003 791 831



1077







Sylloge
**POSITIONUM PHILOLO-
GICARUM,**

Quam
DEO clementer annuente
PRÆSIDE
VIRO

Admodum Reverendo, Clarissimo atq; Excellentissimo

JACOBO WELLERO,
S. S. Theol. D. Ejusdemque P. P. Extraord. Lingv. Oriental.
Ordinario, Præceptore, Promotore atque Affine suo
ætatem colendo,

Publica exponit ventilationi

M. Gottfried MEISNERUS,
Witteberg.

Ad d. 13. Jan. horis Matut.
In Auditor. Majori.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDC XXXVIII.

